

178

176

182

172

187

167

227

127

277

077

Ende

Anfang

163

quandoque contingit, quod vix movetur et omnino subsistit,
et hoc navigantibus molestum valde est ut habetur fol. 44.
Nos ergo ista nocte sic repente, sine tamen tempestate navi-
gantes magnum processum fecimus. Interea obiit quidam miles
nobilis de Holandia, cui persolvimus officium funeris modo
supra dicto folio 51., eumque in maris profundo sepelivimus.

Undecima die, quae est festum Sancti Barnabae Apostoli,
cursu nostro prospero profecti sumus, percurrentes civitatem
Ragusinam totius Dalmatiae et Sclavoniae caput, de qua in
reditu dicam. Et vidimus illo die terminos regnorum, ubi scilicet
principatus Dalmatiae et Illyrici, et ducatus Albaniae et
Moreae sive Achajae, et regnum Ungariae, et regnum Bosニア
et Macedonia Graeciae se contingunt. Omnia enim ista ad
oram maris se extendunt, et faciunt finem Christianitatis
contra septentrionem, quia Turcus Achajam, Albaniam,
Bosニア et Macedoniam possidet. Solatiolum ergo diem
habuimus, et ventum bonum et pulchrum ab omni parte
aspectum. Piscabantur autem galéoti hoc die, quia viderant
infinitam piscium magnorum multitudinem, quos non aliter
capiunt nisi cum cuspipe tribus acuminibus acutissimo. Stant
enim supra margines galéac et pisces visum repente perfo-
diunt, et educunt, et multos quidem vulnerant, sed paucos
captivant. Circa vesperas remissus factus fuit ventus noster,
sed sole occidente factus fuit fortis ut prius, et noctem
prosperam habuimus, et viam magnam perfecimus.

Duodecimo die navigantes prospere longe a terra in mari
eramus et vidimus Scodrum civitatem, quam nominant Scuta-
rum, quam Veneti anno praeterito Turcis tradiderunt, ad
redimendum vexationes eorum, et venimus ex opposito Duracii,
quae est nunc Turcorum civitas magna, in cuius loco Con-
stantinus Constantinopolim decreverat fundare, ut dicam in
reditu. Venimus etiam ex opposito urbis Lavilone, juxta
quam fluvius de Turcorum terris egreditur et in mare funditur,
per quem fluvium Turci de penetralibus terrae suae in mare
vehuntur ad facientes praedas in Christianos. Illo toto die
captivavimus ventum per omnia, sicut supra die 7. fecimus.
Et sole occidente invaluit ventus bonus, et partem velorum
remisimus, ne nimis repentina nocturna navigatio fieret, et

11 *

